



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmma Totivs Theologiæ S. Thomæ Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum

Tertiæ Partis Volumen Secundum

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Romæ, 1619

Vtru[m] per hoc sacramentum remittatur peccatum veniale? 4

urn:nbn:de:hbz:466:1-38725

lis generatio, quæ est mutatio de non esse spirituali in esse spirituale, & datur per modum ablutionis. Et ideo quantum ad utrumque, non inconuenienter accedit ad baptisum, qui habet conscientiam peccati mortalis. Sed per hoc sacramentum homo sumit in se Christum per modum spiritualis nutrimenti, quod non competit mortuo in peccatis. Et ideo non est similis ratio.

Ad tertium dicendum, quod gratia est sufficiens causa remissionis peccati mortalis: non tamen ad remittit peccatum mortale, nisi cum primo datur peccatori. Sic autem non datur in hoc sacramento. Unde ratio non sequitur.

ARTIC. IV.

Utrum per hoc sacramentum remittantur peccata venialia?

AD quartum sic proceditur. Videtur, quod per hoc sacramentum non remittantur peccata venialia. Hoc enim sacramentum, ut Aug. dicit * super Io. est sacramentum charitatis. Sed venialia peccata non contrariantur charitati: ut in secunda parte, + habitum est. Cum ergo contrarium tollatur per suum contrarium, videtur quod peccata venialia per hoc sacramentum non remittantur.

¶ 2 Præterea, si peccata venialia per hoc sacramentum remittantur, qua ratione remittitur vnum, remittuntur & omnia. Sed non videtur, quod omnia remittantur: quia sic frequenter aliquis esset absque omni peccato veniali, contra id quod dicitur 1. Io. 1. Si dixerimus quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus. Non ergo per hoc sacramentum remittitur aliquod peccatum veniale.

¶ 3 Præterea, contraria mutuo se expellunt. Sed peccata venialia non prohibent à perceptione huius sacramenti: dicit enim Aug. * super illud Ioan. 6. Patres vestri manducauerunt manna in deserto, & mortui sunt: Innocentiam, inquit, ad altare portate: peccata, etsi sunt quotidiana non sint mortifera. Ergo neque peccata venialia per hoc sacramentum tolluntur.

SED

473
*inf. q. 87.
 a. 1. c. et 4
 d. 12. q. 2.
 a. 1. q. 1.
 c. & a 2.
 q. 1. per t.
 tra. 26. in
 Io. à me.
 t. 9 & re
 fertur de
 cõf. d. 1. c.
 hoc sacra
 mentum.
 † 1. 2. q.
 88. ar. 1.
 & 2.*

*tra. 26. 7
 Io. parã
 à me. t. 7*

*in l. 4. de
sacro my
ster. alta.
c. 44. an-
te med.*

SED contra est, quòd Innocentius Tertius,* di-
cit, quòd hoc sacramentum venialia delet, & cauet
mortalia.

*2. 2. q. 24.
ar. 10.
* l. 5. c. 4.
à me. c. 4.*

RESPONDEO dicendum, quòd in hoc sa-
cramento duo possunt considerari, scilicet ipsum sa-
cramentum, & res sacramenti. Et ex utroque appa-
ret, quòd hoc sacramentum habet virtutem ad remissionem
venialium peccatorum. Nam hoc sacramentum
sumitur sub specie cibi nutrientis. Nutrimentum autè
cibi est necessarium corpori ad restaurandū id, quod
quotidie perditur per actionem caloris naturalis.
Spiritaliter autem quotidie aliquid in nobis deper-
ditur ex calore concupiscentiæ per peccata venia-
lia, quæ diminuunt feruorem charitatis, vt in secun-
da parte habitum est*. Et ideo competit huic sacra-
mento, vt remittat peccata venialia. Vnde & Amb.*
dicit in lib. de sacram. quòd iste panis quotidianus,
sumitur in remedium quotidianæ infirmitatis. Res au-
tem huius sacramenti est charitas, non solum quantū
ad habitum, sed etiam quantum ad actum, qui excita-
tur in hoc sacramento, per quem peccata venialia
solvuntur. Vnde manifestum est, quòd virtute huius
sacramenti remittuntur peccata venialia.

Ad primum ergo dicendum, quòd peccata venia-
lia, etsi non contrariantur charitati quantum ad ha-
bitum: contrariantur tamen ei, quantum ad feruo-
rem actus, qui excitatur per hoc sacramentum: ra-
tione cuius peccata venialia tolluntur.

Ad secundum dicendum, quòd illud verbum non
est intelligendum, quin aliqua hora possit homo esse
absque omni reatu peccati venialis: sed quia vitam
istam sancti non ducunt sine peccatis venialibus.

Ad tertium dicendum, quòd maior est virtus cha-
ritatis, cuius est hoc sacramentum, quàm venialium
peccatorum. Nam charitas tollit per suum actum
peccata venialia, quæ tamen non possunt totaliter im-
pedire actum charitatis. Et eadem ratio est de hoc
sacramento.

AR-